



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 8. Quid & quotuplex sit meritum de congruo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS VIII.

Quid & quomplex sit meritum de congruo.

1. **M**eritum de congruo dicitur illud, cui deest aliquid requisitum ad meritum perfectum, hoc est, ad meritum de condigno. Ad meritum autem de condigno duo requiruntur, ut suo loco ostensum est; moralis scilicet æqualitas cum mercede, & facta à Deo mercedis promissio. Meritum igitur de congruo dicitur illud, quod vel non habet moralem æqualitatem cum mercede, vel non habet promissionem mercedis, vel neutram habet, sed solum habet in æstimatione morali quandam cum mercede proportionem seu congruitatem, vi cuius illi seu illius intuitu Deus potest mercedem tribuere decenter & congruè.

Hinc in homine iusto bona opera in Deo per ipsius gratiam facta, sunt tantum meritoria de congruo perseverantiæ finalis; licet cum ea moralem æqualitatem habeant. Ratio est, quia non habent perseverantiæ finalis promissionem, unde non habent jus iustitiæ ad illam, quod ad meritum de condigno requiritur.

Hinc in homine peccatore contritio charitate perfecta est tantum de congruo meritoria primæ gratiæ sanctificantis; quamvis promissionem illius habeat. Ratio est, quia propter defectum dignitatis in persona operante, non habet moralem æqualitatem cum prima gratia sanctificante, sed solum habet cum ea proportionem quandam & congruitatem, vi cuius Deus decet hominem perfectè contritum, quia perfectè contritus est, iustificare; ad quod tenetur, non quidem ex iustitia, sed ex fidelitate propter suam promissionem.

Hinc rursus in homine peccatore oratio ex instinctu & adiutorio Spiritus S. facta, est tantum de congruo meritoria prævenientis gratiæ, qua efficaciter movetur ad dolendum sicut oportet de peccatis; quia neque moralem cum illa æqualitatem, neque illius promissionem habet, sed solum habet intrinsecam excellentiam, cuius intuitu Deus potest decenter & congruè hominem peccatorem gratia sua movere, quomodo ei aptum est, ut de peccatis doleat sicut oportet ad consequendum iustificationis beneficium.

2. Ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio vis idonea ad inducendum Deum ex decencia, ut operi aliquid retribuatur. Unde ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio, si non habet moralem cum mercede æqualitatem, certa quadam proportio & congruitas cum eo, quod retribuendum est. Quam proportionem & congruitatem habet opus à propria excellentia; ad quam requiritur, ut sit opus in Deo per ipsius gratiam liberè factum. Hinc opus ex solis naturæ viribus factum, quantumvis honestum sit ac liberum, nec est, nec potest esse de congruo meritorium præmii scilicet supernaturalis; nam de tali hic agitur.

3. Ut ex dictis liquet, duplex est meritum de congruo, unum scilicet, cui promissa est retributio, & alterum cui retributio non est promissa. Unde meritum de congruo dividi debet in illud, quod cum mercede infallibiliter connexum est, & illud quod non nisi fallibilem habet cum mercede connexionem, adeoque potest esse sine retributione. Hinc meritum de congruo adhuc dividi potest in meritum de congruo in actu primo tantum, & meritum de congruo in actu secundo. Meritum de congruo in actu primo tantum, est opus, cuius intuitu Deus posset operanti aliquid retribuere cum decencia, non tamen retribuit, quia non vult. Meritum de congruo in actu secundo est opus, cuius intuitu Deus potest cum decencia retribuere aliquid, quod re ipsa retribuit, vel cum debito fidelitatis, si promisit retributionem, vel absque omni debito, si retributionem non promisit.

4. Denique, meritum de congruo, ut etiam ex dictis patet, dividi potest ratione subjecti, in meritum de congruo, habens moralem æqualitatem cum mercede, sed sine illius promissione: tale est omne meritum de congruo in homine iusto: unde nullum meritum de congruo in homine iusto habet infallibilem retributionem: & meritum de congruo, carens morali æqualitate cum mercede, quacum tamen ob intrinsecam perfectionem, certam proportionem & congruitatem habet: talia sunt omnia merita de congruo in homine peccatore, quorum aliqua retributionis promissionem habent, aliqua non, & quorum proinde aliqua infallibilem habent retributionem, alia verò non habent.

